

DEDICATORIA.

tati approbata, adeoq³ salutaria in Ecclesiis & Scholis tradi & ad posteros propagari: falsa verò omnia damnari & rejici vult simpliciter. Repugnat hoc fideli inspectioni atq³ cura omnium Superintendentum, & inprimis D D. Consistorialium per totum Electoratum Saxonicum, quos Deus ut custodes vere doctrine quasi in specula quadam constitutos esse voluit. Falsa scientem & volentem vel docere vel discere est contra finem omnium liberalium artium & disciplinarum, omnium Academiarum & Scholarum, quæ iccirco inventæ & constitutæ sunt, idq³ unicè agunt & meditantur, ut animum hominis ab omni errore & falsitate liberent, & contra veris sententiis imbuant. Falsa docere vel discere est contra naturam & excellentiam humani intellectus, cujus proprium bonum est cognitio Veritatis. Falsa docere vel discere est contra salutem Ecclesiæ & Reipubl. & contra sententiam atque approbationem omnium sanorum hominum. Falsitas enim & omnis error ab imbecillitate humana, à peccato originis, & consequenter ab ipso Diabolo suum ortum trahit, ideoq³ quamprimùm patefacta est, nullo modo vel regi, vel excusari vel propagari debet. Idem esto iudicium de iis, quæ sine omni spe ullius usûs aut fructûs infirmæ etati puerorum tot annos tot cum verberibus & plagis inculcantur.

Minorem ad oculum probat ac demonstrat tota mea Dissertatio, tota Sylloge. Ne tadium aliquod Lectori afferatur, paucula tantùm ex doctrina de